

liud est, quam peditem multis sarcinis impediri ac obrui.  
 CCXXX. Nemo est tam stupide amens, qui se non  
 illi civitati, ad quam tendit,  
 CCXXXI. Et ubi morari destinat, adornet, compo-  
 natque<sup>6</sup> magis quam itineri.  
 CCXXXII. Vita haec nostra, quum sit natura sua  
 fugax & arcta, maxima eius pars, ac fere tota perturba-  
 tionibus perit: neque enim vivimus, quamdiu adfectibus  
 concutimur, & in primis mortis metu.  
 CCXXXIII. Quae quum ex infinitis caussis immineat  
 & appropinquet, expavenda non est ex una aut altera;  
<sup>7</sup> quumque necessario perventura, fugienda non est per  
 scelus, aut moerendum, quod accedat.  
 CCXXXIV. Quum sit vita innumeris taediis ac miseri-  
 riis referta, cur est tam arcte retinenda? quum ad alte-  
 ram aeternam proficiscamur, ita nos comparemus, ut  
 recta ad illam evolemus plenissimam bonorum omnium.  
 CCXXXV. Ergo premur saepius nostris errori-  
 bus quam rebus ipsis, quum magna mala, aut bona cen-  
 semus, quae non sunt.  
 CCXXXVI. Natura & conditio, & vera rerum pre-  
 tia illa sunt, quae initio posui: <sup>8</sup> unde colligi licet, nihil  
 praeter virtutem pulchrum aut magnum esse, aut etiam  
 nostrum.

CCXXXVII. Nos vero in consilium<sup>9</sup> & deliberatio-  
 nem corum, quae sunt nobis agenda, corporis amorem, &  
 cupidinem rerum vitae huius accersimus, quae a multis  
 vocari solent *amor nostri*. Hic animos viriles enervat, ut  
 nulla res tam minuta sit, quae in eos non penetret: nec  
 ulla tam exilis aut tenuis, quin eos concuriat.

CCXXXVIII. Hinc tenebrae oboriuntur oculo men-  
 tis: & ubi regnum adfectus occupavare, iam illis tam-  
<sup>5</sup> non se.  
<sup>6</sup> O magis quam itineri.  
<sup>7</sup> quum necessario.

<sup>8</sup> quo appetit, nihil.  
<sup>9</sup> mentis, amorem corporis & cupi-

quam dominis<sup>1</sup> blanditur, indulgemus, paremus.

CCXXXIX. Ita aliena mordicus tamquam nostra ap-  
 prehendimus; & si detrahantur, lamentamur, & adflicta-  
 mus nos ipsos.

CCXL. Et nostra tamquam aliena negligimus.

CCXLI. Et aversamur profutura ceu vehementer no-  
 xia, & nocitura amplectimur pro utilibus.

CCXLII. Alien a mala nobis videntur levissima, no-  
 stra, illis non maiora, intolerabilia; & semper queruli, nec  
 aliena desideria ferimus, nec nostra.

CCXLIII. Nec iam nobis placemus ipsis, nec hic mun-  
 dus cum sua lege nobis satisfacit: immutatas vellemus re-  
 rum naturas. tanta est ex delitiis impatientia.

CCXLIV. Quae cruces possunt cum his comparari?  
 nec sunt alia apud vita functos tormenta.

CCXLV. Nec daemones aliis suppliciis sunt miserri-  
 mi, quam superbia, invidia, odio, ira.

CCXLVI. Cernere est vultus eorum, qui his adfe-  
 ctibus tenentur, quam varii sunt, quam anxii, anheli,  
 truces, horridi. ad eundem modum & animi sunt ad-  
 fecti.

CCXLVII. Ira perturbationum omnium atrocissima,  
 maxime hominem dedecet.

CCXLVIII. Naturam hominis in truculentam mutat  
 feram.

CCXLIX. Et quum quaevis perturbatio mentis aciem  
 & iudicium omne obscurat, tum ira tenebras densissimas  
 offundit, ut nec verum, nec utile, nec decorum possit  
<sup>2</sup> intueri.

CCL. Adrodit cor, & valetudinem adfligit. Id cogit  
 facere, quod illico poenitentia consequatur.

CCLI. Iam in facie quam turpis mutatio? quae  
 tempestas? oculorum ardor? dentium stridor? despuma-

<sup>1</sup> blandimur.

<sup>2</sup> cernere.

tio? & totius oris pallor? foeda in lingua titubatio & clamor?

CCLII. Ut ille, qui iratum se ad speculum<sup>3</sup> adspexit, non sine causa dicatur se non agnovisse.

CCLIII. Ob hanc torvitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorum, admittitur viro omnis auctoritas, omnis benevolentia: diffugunt amici, & decadunt obvii: solitudo undique, omnes oderunt, omnes detestantur.

CCLIV. Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis, vel texerint, sollicitius, quam iram & irati opera, adeo ut naturae etiam suae repugnarint, & vim attulerint.

CCLV. Quid enim ridiculum magis, quam tantulum, tam imbecillum animalculum sic ferocire ac furere? & tantas tragedias, tam atroces vilissimis de rebus excitare? ut de corporeis, de fortuitis, etiam, si diis placet, de uno verbulo.

CCLVI. Iram facile domabis, si illud animo perceptum & fixum tenueris: Iniuriam non fieri, nisi laedatur animus, cui a nemine noceri potest, nisi a possidente, introducto in eum vitio.

CCLVII. Haec ad hominem ex homine: nunc altius, nempe ex Deo, etiamsi illa quoque ex Deo. Sed haec aliquanto expressius ac proprius.

#### DE RELIGIONE.

CCLVIII. **N**ihil potuit hominum generi dari maius aut praestabilius, quam religio, quae est cognitio & amor,<sup>8</sup> & veneratio principis<sup>9</sup> parentisque universitatis mundi huius.

<sup>3</sup> videt.

<sup>4</sup> teneunt.

<sup>5</sup> O. sollicitius.

<sup>6</sup> ac.

<sup>7</sup> de vili. reb.

<sup>8</sup> O. & veneratio.

<sup>9</sup> & parentis.

i CCLIX. In nullos homines aequa est beneficis Deus ac in illos, quos docet, qui sit verus sui cultus.

CCLX. Iccirco psalmista inter maxima Dei in populum Israelicum munera illud ponit: Qui adnuntiat verbum suum Iacob: iusticias & iudicia sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.

CCLXI. Per religionem Deus cognoscitur; cognitus fieri nequit aliter, quin ametur & atque adoretur.

CCLXII. Vnus Deus est princeps, & auctor, dominus univerorum, qui potest, qui fit omnia.

CCLXIII. Mundus hic est velut domus quaedam eius, vel potius templum: ipse ex nihilo in hanc faciem atque ornatum protulit. Vnde mundi nomen apud nos accepit, apud Graecos ornati. Idem regit atque administrat non minore conservationis miraculo, quam creationis.

CCLXIV. Hanc esse universi legem: non alium esse in rebus casum, non fortunam aut fortrem.

CCLXV. Omnia ab eo geri summa aequitate & sapientia, tametsi viis nobis ignoratis.

CCLXVI. Quaecumque cuivis contingunt, ad eius referri commoda, si sit bonus; non ad ista pecuniolae, aut mundi huius momentanei, sed aeternae illius felicitatis.

CCLXVII. Ergo & quae in vita hac accident, qualia sunt cumque, tamquam ab auctore Deo profecta, aequis animis accipienda atque approbanda sunt, ne affectu nostro, & tamquam iudicio consilium damnare videamus,

T. &  
1. O, atque adoretur.  
2. & auctor & dominus.  
3. Vnde nomen accepit apud Graecos ornati.

4. Omisi sunt in hac editione sequentes tres versiculi:

I. Et quemadmodum in domo prudentissimi patris familias nihil iniussu eius agitur: sic in omni mundo nihil iniussu Dei geritur omnipotentis & scientis.

II. Illi angelos, daemones, homines,

animantia, serpentes, lapides, caelos & elementa, cuncta denique curae esse ac parere.

III. Nihil fieri, nihil moveri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem atolle ullam, aut hoc cum volitate extra illius prescripta & iussa.

5. fieri.

6. sed illius aeternae salutis.

7. quaecumque in hoc mundo.

8. O, qualia sunt cumque:

& improbare voluntatem iustissimi illius & sapientissimi  
rectoris omnium Dei, quia non adsequimur.

CCLXVIII. *Ei nos obsequi<sup>2</sup> & dicto audientes prae-  
bere, laudare atque approbare cuncta, quae facit, fas  
piumque est.*

CCLXIX. *Nos pueri, & meliorum rerum inscii,  
quae damnosissima sunt, deflemus non dari tamquam uti-  
lissima; quae utilissima, horremus<sup>1</sup> ceu impense damnosa:*

CCLXX. *Vt nihil sit nobis saepenumero pestilen-  
tius, quam fieri votorum nostrorum compotes.*

CCLXXI. *Quumque in tantis tenebris ignoracionis  
versemur, sic Deo visum est, ut nobis sola sit praestanda  
culpa, cetera omnia illius curae remittantur.*

CCLXXII. *Nobis, velimus nolimus, exsequendum est  
quod de nobis statuit ac iubet rector huius tanti operis:  
quotsum igitur spectat, malle cum lacrimis detrectantes  
& reluctantibus trahi, quam hilaliter<sup>2</sup> atque ultro duci.*

CCLXXIII. *Certe amicus omnis Dei legibus &  
volutati amici<sup>3</sup> laetus alacerque obtemperabit.*

CCLXXIV. *Haec potissima ratio est Dei amandi, si-  
c ut Christus<sup>4</sup> ait: *Vos amici mei eritis, si feceritis quae  
ego<sup>5</sup> vobis praecipio.**

### DE CHRISTO.

CCLXXV. *¶ Acificator humani generis cum Deo,  
& auctor salutis nostraræ est IESVS  
CHRISTVS homo, Deus, Dei omnipotens filius uni-  
genitus,<sup>6</sup> quem ad hoc ipsum pater misit, quem ei vi-  
sum est misereri generis humani, quod<sup>7</sup> ipsum maximo  
suo malo inimicum se fecerat Deo<sup>8</sup> patri ac conditori suo.*

<sup>9</sup> & subditos præbere.

<sup>1</sup> tamquam adversaria.

<sup>2</sup> &.

<sup>3</sup> O. laetus alacerque.

<sup>4</sup> inquit.

<sup>5</sup> praecipio vobis.

<sup>6</sup> unigenitus.

<sup>7</sup> O. ipsum.

<sup>8</sup> O. patri ac conditori suo.

CCLXXVI. Nullum excogitari potest malum pestilen-  
tius aut exitiabilius quam per peccatum a Deo separari,  
perenni<sup>9</sup> omnium bonorum fonte, ad perniciosissimam  
converti miseriam, & a dulcissima vita in acerbissimam  
mortem.

CCLXXVII. In hoc inter cetera CHRISTVS venit,  
ut rectissimam viam nos edoceret, qua insisteremus pro-  
ficiuentes ad Deum, nec ab ea vel pilum deflecteremus.

CCLXXVIII. Hanc ipse & verbis indicavit ac patefec-  
tit, & exemplo vitae suae munivit expeditissimam atque  
certissimam.

CCLXXIX. Humana omnis sapientia, si cum religio-  
ne christiana conferatur, coenum est & mera stultitia.

CCLXXX. Quidquid grave, prudens, sapiens, pu-  
rum, sanctum, religiosum, quidquid cum admiratione,  
exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur, quid-  
quid ex illis commendatur, ediscitur, in caelum tollitur,  
id totum purius, rectius, apertius, expeditius invenitur  
in pietate nostra.

CCLXXXI. Hanc nosse perfecta est sapientia: iuxta  
hanc vivere perfecta virtus: sed nemo vere novit, qui  
non sic vivat.

CCLXXXII. Vita Christi testatur humanam eius probi-  
tatem: miracula omnipotentiam divinitatis: lex caele-  
stem sapientiam.

CCLXXXIII. Vt ex probitate accedat exemplum ad  
imitandum, ex auctoritate vis ad obediendum, ex sa-  
pientia fides ad credendum.

CCLXXXIV. Probitas amorem elicit, maiestas cul-  
tum, sapientia fidem.

CCLXXXV. Si quis, <sup>10</sup> quac CHRISTVS praecipit,  
expendat, comperiet<sup>11</sup> animo ad nostras utilitates referri,  
ut nemo nisi maximo suo bono sentiat se credere.

CCLXXXVI. Ut nihil est homini gratius quam fidei sibi, ita nec Deo: nec quisquam bene de illo cogitat, cui timide seipsum<sup>2</sup> credit.

CCLXXXVII. Fundamentum salutis est, credere Deum esse patrem, & huius filium unicum IESVM CHRISTVM legosatorem nostrum: & ex utroque spirari sanctum illum adflatum, sine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelsum, aut profuturum nobis.

CCLXXXVIII. Verus Dei cultus est animum morbis & pravis affectibus perpurgare, & in illius, quam proxime possumus, transformare simulacrum, ut puri & sancti simus, sicut & ipse est: neminem oderimus, omnibus prodeesse studeamus.

CCLXXXIX. Quo magis te a corporalibus ad incorpoream transtuleris, hoc vitam divinorem vives.

CCXC. Ita fiet, ut Deus cognatam & similem sibi naturam agnoscat, eaque delectetur, ac velut in vero & germano templo habitet, multo sibi acceptiore, quam ista sunt lapidum & metallorum.

CCXCI. *Templum Dei sanctum est*, inquit Paullus, quod effis vas.

CCXCII. Tantus hospes conservandus est, nec tetro peccatorum foetore expellendus.

CCXCIII. Corporalia opera satua sunt ante Deum, nisi conditura ex animo addatur.

CCXCIV. In occultissimis recessibus, & procul ab omnium oculis, atque a deo in corde ipso atque in animo tuo, scito te habere Deum arbitrum, testem, iudicem omnium, etiam cogitationum tuarum, ut illius presentiam reveritus, nihil non modo facias, sed nec<sup>3</sup> admittas in animo nefarium aut turpe.

CCXCV. Caritas erga Deum haec debet, ut illum ceteris rebus universis anteponas, honoremque &

3V glo-

2 tradit. 3 in animum admittas

gloriam illius cariorem habeas, cunctis vitae huius honoribus & commodiis.

CCXCVI. Et quemadmodum amicus, quum amici memoria occurrit, benevolia quadam adficitur & pia laetitia; sic curare te decet, uti divina omnia amicissima tibi sint, et proinde gratissima, verserisque in illis multo libentissime.

CCXCVII. Quoties nominari audis Deum, maius quiddam & admirabilius animo occurrat, quam quod possit humana mens capere.

CCXCVIII. Quae de illo & divis dicuntur, audi, non quomodo humana, sed cum magna animi admiratione,

CCXCIX. De Deo nec quid temere censes, aut de illius factis pronunties aliter quam venerabundus & timide.

CCC. Impium in res sacras iocari, aut dicta sanctorum scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata, convertere: ceu quis medicina ad salutem parata coenum adsparget.

CCCI. Ad obsceneitatem autem trahere, id vero nefarium & atque abominandum est.

CCCII. Omnia decet illic esse admiranda, & cum ingenti dignatione in animos recipienda.

CCCIII. Sacris intersis attente ac pie, non ignarus, quaecumque ibi seu vides seu audis, esse purissima & sacro sancta, spectareque ad immenam illam Dei maiestatem, quam adorare facile est, comprehendere impossible.

CCCIV. Ita ut in divina illa sapientia altiora semper existimes latere, quam quo posuit vis illa humani ingenii pertingere.

CCCV. Dicta sapientum hominum, etiam non intellecta, veneramur: quanto id aequius est divinis deferri?

CCCVI. Quoties nominari audis IESVM CHRISTVM

to-

4 & intolerabile.

toties tibi veniat in mentem caritas illius in nos in aestimabilis, & recordatio illius sit tibi dulcedinis & veneratio-  
nis plena.

**CCCVII.** Quum tirulum aliquem aut epitheton CHRI-  
STI audis, extolle te in eius contemplationem, & ora,  
ut tales se praebeat erga te, velut cum clementem, mi-  
tem, placidum, ut tales experiare illum: quum omnipo-  
tentem, ut id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum,  
ex hoste filium, ex nihilo aliquid: quum terribi-  
lem, ut eos, a quibus terrere, terreat.

**CCCVIII.** Quum dominum vocas, fac illi servias:  
quum patrem, fac ames, & te dignum praestes tanto pa-  
tre filium.

**CCCIX.** Nulla res est in toto universo, cuius si vel  
originem vel naturam, viresque intuearis, non suppeditet,  
quo auctorem omnium Deum admireris & adores.

**CCCX.** Nihil exordire, non invocato prius numine.  
Deus enim, in cuius manu sunt progressus & exitus, o-  
ptatos eos tribuit iis actibus, quos ab ipso auspicamus.

**CCCXI.** Quidquid aggressurus es, finem spectato, &  
ubi tu reetur consilium praestiteris, de eventu ne sis  
sollicitus.

**CCCXII.** Illi fide, in cuius potestate sunt rerum  
eventus.

**CCCXIII.** Quandoquidem religio omnis sita est in  
intimis pectoris, preces da operam ut intelligas, & cave ne  
ore tantum permurmures, sed quum oras, totus & animo  
& mente & cogitatione, & vultu in hoc sis, ut omnia se-  
cum consentiant, & excellentissime respondeant actioni.

**CCCXIV.** Exsiccantur illum caelestia oracula, qui o-  
pus Dei facit negligenter.

**CCCXV.** Si in citharaedo turpe est aliud ipsum ore,  
aliud fides eius sonare; multo est turpius, quum Deo

excellentissima.

psal-

psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare:

**CCCXVI.** Vota nostra sobria sint, & digna quae a  
Deo petantur, & quae Deus det, ne frusta illum a  
inepta offendant.

**CCCXX.** Quandiu quis in immobilia levigatio in ca-  
ritate diligendo Deo currit, in immobilia levigatio in ca-

### DE SUMPTIONE CIBI.

**CCCXVII.** Vmturus cibum, recordare omnipo-  
tentiae Dei, qui cuncta ex nihilo  
condidit; sapientiae ac benignitatis, qui ea sustentat;  
mansuetudinis & clementiae, qui etiam inimicos suos  
pascit.

**CCCXVIII.** Expende quantum illud sit, tot vitis uni-  
versitatis mundi huius tam variam quotidie alimoniam suf-  
ficere, conservare omnia, & vindicare ab interitu, quo  
nutu suo tendunt.

**CCCXIX.** Nullam neque hominum, neque angelorum  
sapientiam non modo hoc<sup>7</sup> posse praestare, sed nec  
intelligere.

**CCCXX.** Itaque quum scias, te de illius bonis vive-  
re, cogita quam exsiccanda sit ingratitudinis, quam per-  
ditae temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere  
cuius beneficio & voluntate consistis, non amplius, si  
nolit, fruiturus.

**CCCXXI.** Ad mensam sint casta omnia, pura, cor-  
data, sancta: qualis ille est, inter cuius munera tunc  
versarisi.

**CCCXXII.** Omnis detrectatio, virulentia, atrocitas,  
crudelitas a mensa arceantur, in qua tu sentis incredibili-  
lem Dei erga te suavitatem & clementiam.

**CCCXXIII.** Quo intolerabilius est, eum te locum  
asperitate aut odio in fratrem contaminare, ubi tu beni-  
gnam & largam in te lenitatem percipis.

Quod

6 quae sustinet,

7 A. non.

CCCXXIV. Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob causam mensae sacra nominabant laeta & festa, ad quam triste aliquid aut atrox dici fieri pefas erat.

CCCXXV. Quumque sis omnipotenti, sapientissimo, largissimo Deo curae, tu immodicam sustentandi cuius curam depone, tamquam bonitati illius disfusus: unicam curam fuscipe, quomodo illi placeas ac satisfacias,

CCCXXVI. Stultissimum est alimenti causa pravum illum facinus edere, & illum offendere, a quo solo alimenta veniunt, ut cum tibi iratum facias, a quo aliquid contendis impetrare.

CCCXXVII. Praesertim quum <sup>8</sup> epulis non conservetur vita, sed voluntate Dei, quemadmodum divinis oraculis declaratum est; non pane hominem vivere, sed verbo Dei.

CCCXXVIII. Habemus syngrapha IESV universorum in caelo & in terra domini: nihil eorum, quae opus sunt homini, defuturum iis, qui quaesierint regnum Dei & iustitiam eius.

CCCXXIX. Tum ex Dei donis, quae ipse arbitrio suo & largitur & tollit, quum iis in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum, illius filium, malignus ne esto; reputans vos ex aequo esse Dei filios; nec Deum plus tibi debere, quam illi: tantum voluisse te dispensatorem & administratorem esse, & a quo secundum Deum frater tuus peteret.

CCCXXX. Nihil verius datur Christo, quam quod egenis datur.

CCCXXXI. Sumto cibo, considera cuius sit sapientiae, cuius potentiae vitam nostram iis rebus, quas edisti, sustentare, & ruentem fulcire.

CCCXXXII. Itaque habeas Deo gratiam, non quantum haberes illi, qui tibi pecunia sua cibarium emisset,

sed

<sup>8</sup> non alimentis c.

non A.

sed quanta habenda est ei, qui te & cibum ipsum condidit, & cibum propter te, & cibo te sustentat, non vi illicius, sed sua.

### DE SOMNO.

CCCXXXIII. Qum petis quietem, & quum surgis, reminiscere beneficiorum Dei, non in te solum, sed in totum genus hominum, atque adeo mundum universum.

CCCXXXIV. Cogita quantae sint hostis hominum per licentiam quietis insidiae, dum homo velut cadaver iacet impos sui: quo instantius orandus est Christus, ut nos tam imbecilles tueatur.

CCCXXXV. Nec ullo nostro peccato irritandus est custos & praeses noster.

CCCXXXVI. Et frons & pectus crucis nota exteriū muniendum, interius vero piis precibus & sanctis meditationibus.

CCCXXXVII. Vbi iam lectum ingredieris, fac cogites, unumquemque diem imaginem esse humanae vitae, cui succedit nox.

CCCXXXVIII. Et somnus simulacrum mortis expressissimum.

CCCXXXIX. Itaque rogandus est Christus, ut in vita & in morte adsit <sup>9</sup> perpetuo secundus ac savens, illamque ipsam noctem praebeat nobis placidam atque tranquillam.

CCCXL. Neve insomniis terreamur, semperque etiam sospitis, ille menti nostrae obversetur illius solatiis recreati, ad matutinum tempus sospites & laeti perveniamus.

CCCXLI. Cum pia memoria sanctissimae mortis ipsius, pretii, quo genus humanum redemptum est.